

Discours du général

Après une défaite l'amenant à reconsidérer son plan de bataille, César s'adresse à ses soldats pour leur redonner de l'ardeur au combat.

LXXIII. ¹Caesar ab superioribus consiliis depulsus omnem sibi commutandam belli rationem existimavit. ²Itaque, uno tempore praesidiis omnibus deductis et oppugnatione dimissa coactoque in unum locum exercitu, contionem apud milites habuit hortatusque est ne ea quae accidissent grauitè ferrent neque his rebus terrerentur multisque secundis proeliis unum aduersum et id mediocre opponerent. ³Habendam Fortunae gratiam, quod Italiam sine aliquo uulnere cepissent, quod duas Hispanias bellicosissimorum hominum peritissimis atque exercitatissimis ducibus pacauissent, quod finitimas frumentariasque prouincias in potestatem redegissent; denique recordari debere qua felicitate inter medias hostium classes oppletis non solum portibus, sed etiam litoribus omnes incolumes essent transportati. ⁴Si non omnia caderent secunda, Fortunam esse industria subleuandam. Quod esset acceptum detrimenti, cuiusuis potius quam suae culpaè debere tribui. ⁵Locum se aequum ad dimicandum dedisse, potitum se esse hostium castris, expulisse ac superasse pugnantes. Sed siue ipsorum perturbatio siue error aliquis siue etiam Fortuna partem iam praesentemque uictoriam interpellauisset, dandam omnibus operam ut acceptum incommodum uirtute sarciretur. ⁶Quod si esset factum, futurum ut detrimentum in bonum uerteret, uti ad Gergouiam accidisset, atque ei qui ante dimicare timuissent ultro se proelio offerrent.

vous pouvez
ajouter ça.

PS: vive le discours indirect!